

mam, Aristotele longe inferiorem; et incompletam, de sola demonstratione sollicitam, nihil de iudiciis, de syllogismo, de analysi dicentem.

4) Systema *Vaiseshika*, auctore Kanada, ut veram scientiam, medium liberationis, docet atomismum; nimirum:

a) quoad cosmologiam: mundus corporeus totus constat atomis indivisibilibus, immutabilibus, quae non casu (prout docuerunt Graeci atomistae), sed certa lege conveniunt, secundum affines suas qualitates, et quoad numerum, primo in binarios, dein binarii in terniones, in quaterniones, qui in quinones, in seniones, et ita porro; — id ipsum tamen non ex interna necessitate atomorum evenit, sed ex actione omnipotentis infiniti Dei.

b) quoad divinitatem: admittit Deum unum, summum, aeternum, spiritualementem.

c) quoad hominem: praeter corpus, sedem activitatis et laboris, ac organorum sensuum, appetitus sensitivi, homo habet animam distinctam, sedem proprietatum oppositarum corpori: cognitionis, amoris, odii; inter corpus et animam vinculum unionis medium est conscientia sui; — quidquid animae additum est, ipsi malum est: corpus, sensus, sensuum objecta, elementa, conscientia externarum rerum, conscientia sui, actio, amor, odium.

d) quoad ontologiam: ad categorias sex omnia reducit: substantiam, qualitatem, actionem, commune, proprium, relationem.

e) quoad ethicam: iterum omnia officia ad hoc reducuntur, ut anima per quietam contemplationem verae scientiae, ad liberationem a corpore ceterisque omnibus pertingat, et ita ad veram otiosam quietem, liberam ab omni operatione, a merito et a peccato, et obligatione omni.

5° His systematibus alia minora accedunt nonnulla, pleraque mere materialistica. Sed ea Indis semper minus placuerunt. Sic *Djaina* systema distinguit quidem viventia a non viventibus; omnia tamen ex solis atomis constare docet; nullam divinitatem vel providentiam agnoscit, omne supramundanum negat. — *Tsherwaka* sola corpora esse realia, reliqua esse meras illusiones. — *Lokajatika* sola corpora esse realia, ex solis atomis constare, vitam ejusque omnes operationes, sensationes, appetitus, affectiones, esse meras atomorum varias combinationes...

6° Praecedentia omnia systemata sociale divisionem castarum indicarum observant, Brahmanosque super alios exaltant. Orta illa sunt ab antiquitate nobis ignota; parum per saecula fuerunt deformata; vigent hodie apud Indos indigenas. — Sed saeculo circiter quinto vel sexto ante Ch. ortus est *Buddhismus*, auctore Çakya-Muni, ex systemate Sankhya ortus, ulterius evolvens ad nihilismum usque consequentias, sociale divisionem castarum subruens, practice aliam religionem inducens. Inde Brahmanorum odia violenta, qui post duo saecula Buddhismum ex India vi expulerunt; quo factum est ut late propagaretur apud Sinenses, Japones, Mongolos, Thibetanos, etc; nec tamen ex ipsa India exstirpatus est, sed mox reffloruit, donec saeculo VIII p. Ch. Brahmanismum devicerit; at ipse dein, saeculo IX p. Ch. irrudenti

Islamismo succubuit. Sub Mahumetana dominatione postea restauratus, modificatus quidem, Neo-Brahmanismus, ex interiori India Buddhismum fugavit, qui in India non jam nisi in minoribus confinibus extremis regionibus conservatus est. — Est autem illud systema his fere contentum:

a) divinitatem non invocat; non aliud agnoscit nisi Nirvana, Nihilum, ad quod tendendum sit tanquam ad perfectam quietem et felicitatem. — Aliquando videtur non negare Deos, at certe otiosos, mundum non curantes, hominibus quidem meliores, iisdem tamen vicissitudinibus obnoxios, donec in nihilum redeant.

b) mundus et homo, omnia sunt perpetua illusio, nihilum nempe in perpetua variatione fiens et desinens, totum vacuum donec in nihilum, otium quietum perfectum, redeat.

c) debet ergo homo ab omni illusionem se liberare per scientiam perfectam et paenitentias, easque vix tolerabiles; qua via in nirvana redibit; quod si negligat, debet post mortem ejus umbra in terra circumerrare. — In nihilum perfecte rediit olim Çakya-Muni, primus Buddha; illum propterea invocant sectatores, eum in perfectis ascetis redivivum admirantur et honorant. — Ascetae nulli obligationi morali subjacent, sibi et aliis summi benefactores.

d) perfectae scientiae elementa sunt, ut agnoscat 1. quadruplex sublimis veritas: dolor universalis; ejusdem causae passiones humanae; ejusdem finis nirvana; via ad nirvana, passiones et desideria comprimendo, vanitatem universalem contemplando; — 2. mutatio perpetua rerum ab alia in aliam formam; — 3. causarum connexio: mortis, nativitatis vel transmigrationis, anterioris existentiae, affectionis ad varias res, idearum quibus illudimur, ignorantiae; — 4. nirvana: libertas ab omni apparentia, transmutatione, activitate, individualitate; universalis indeterminatissima existentia, nihilum: perfecta felicitas.

e) haec tamen doctrina athea, nihilistica, irreligiosa, solis sapientioribus perspecta manet; vulgus deos inferiores colit, sanctionem post mortem expectat. Atque sub duplici illa forma, cum multis varietatibus mixtis, late in Asiae regionibus et Oceani insulis etiam adhuc dominatur; apud multos in perfectum scepticismum et miras superstitiones abiit.

7° Longiusculam non horruimus Indorum philosophiae expositionem, qua pateret: 1) quousque erraverit paganus ille mundus a nostro alienus, et revelatione privatus, 2) quantae similitudines tamen cum nostrorum rationalistarum superbia, quoties revelationi plene valedicere conantur, 3) quo nos perducerent logica necessitate, si permitteret Deus ut Ecclesiam Catholicam destruerent illi, qui verbo et scripto omnia laudant quaecumque huic Ecclesiae contraria sunt (quin imo, eousque progressos hisce ultimis annis videmus Europaeos aliquos rationalistas, ut Catholicismo expressis verbis Buddhismum praeferre non vereantur).

ARTICULUS 5.

Apud Sinenses.

Parum philosophicarum inquisitionum et speculativorum studiorum apud illas gentes invenire est. Breviter igitur.

1° A summa antiquitate liber *Y-King* (i. e. liber transformationum), auctore Fohi, docet :

a) quoad cosmogoniam : duo principia increata, aeterna : coelum, principium activitatis, perfectionis, masculinum; et terram, principium passionis, otii, imperfectionis, femineum. — Horum varia compositione omnia oriuntur, varia solutione omnia pereunt. — Istarum compositionum leges numeris reguntur, unitate, numero perfecto, et dualitate, numero imperfecto; unde et omnes numeri impares perfectiores, pares vero imperfectiores reputantur; — atque ita explicantur creationes rerum, et cursus astrorum, et quatuor anni tempora, etc.

b) quoad hominem : utrum animam immaterialem admittat, vix discernas in tanta doctrinae obscuritate. — Homines alii boni sunt, qui legibus coeli et terrae sese conformant, rectitudinem ac justitiam observant; — alii mali, qui secus egerint; — prioribus bona terrestria promittuntur, posterioribus calamitates terrestres.

c) divinitatem nusquam agnoscere videtur; aliquando tamen proprietates divinas coelo tribuere videtur.

2° Circa saeculum sextum ante Ch. ortae sunt duae scholae philosophicae; altera potius de theoreticis, altera potius de practicis sollicita.

1) *Lao-Tseu* ad theoretica magis attentus, in libro *Tao-te-King* (i. e. libro summae rationis),

a) circa divinitatem contendit nobis nullum esse verum conceptum possibilem, sed solum nomen « Tao » (ratio) quo illam designemus; — est haec ratio summa, indeterminatissima, simplicissima, aeterna, unitas immutabilis.

b) quoad cosmologiam : Tao, praeter suum absolutum respectum unitatis, habet et alterum respectum relativum, quo fit dualitas, determinatum, mutabile; atque inde in omnes phaenomenales mundanas res evolvitur.

c) quoad hominem : animam immaterialem admittit, quam interdum docet post mortem hominis manere sui consciam et distinctam individuam, alias vero dicit in unitatem indefinitam Tao absorberi, si modo recte in hac vita egerit, i. e. si vitam secundum rectam rationem, ad normam ipsius Tao, ordinaverit; — quod quidem in eo consistit ut homo conetur omnem determinationem et activitatem exuere, perfectum otium attingere.

d) quoad societatem : finis intendendus est felicitas et quies populi; — ad id media sunt ut principes tum in se tum in suis ministris et magistratibus exempla praebeant contemptus honorum ac divitiarum, et ut plebem in ignorantia detinere curent, quia ignoti nulla cupido, ac proinde pax.

2) *Kung-Fu-Tseu* (Confucius) ad practica et moralia magis attentus, a) in homine admittere videtur animam immaterialem.

b) divinitatem nunquam enuntiat; — ejus tamen attributa, providentiam praesertim, et benevolentiam, coelo aliquoties tribuit.

c) hominis officia quae docet ad tria puncta reduci possunt : officia mutua inter principem et subditos, — officia inter parentes et liberos, — officia inter conjuges. — Virtutes primariae sunt : humanitas, justitia, fidelitas ceremoniis et usibus majorum, sinceritas erga seipsum, bona fides erga alios. — Illa omnia ad unicum virtutem et officium reducit, scilicet ad pietatem filialem; coelum enim constituit filium suum, imperatorem, qui esset pater totius populi; populus autem subdividitur in varios coetus et familias. — Erit ergo pax summa et omnium felicitas, si suo quisque muneri et statui intentus, harmoniam et aequilibrium ceterorum nunquam turbet.

3) Illud Confucii systema evolverunt ejus discipuli varii, quos inter eminuit *Meng-Tseu* de natura hominis disserens, animam docens ad bonum naturaliter inclinatum esse, ad malum non nisi passionibus allicientibus declinare, libero tamen arbitrio ornatam.

3° Circa saeculum ante Ch. penultimum, ex India *Buddhismum* apud Sinenses intulit *Fohe*; sed plebeia forma in idololatriam mox degeneravit.

4° Circa saeculum post Ch. undecimum, ex diuturnis disputationibus discipulorum *Lao-Tseu*, *Fohe*, et *Confucii*, paulatim multa erant inter litteratos orta conciliationis tentamina; — inde novae scholae, quas inter eminuit schola auctoribus *Tshehu-Tseu*, et *Tshu-Hi*. — Ista omnia etiamnum vigent, sed inter omnes maximae auctoritatis manet *Confucius*, magnus legislator, cultu religioso honoratus.

ARTICULUS 6.

Apud Aegyptios.

Aegyptiis alii veteres populi summam sapientiam tribuebant, eo nimirum decepti quod et praeter exotericam vulgarem doctrinam, aliam esotericam, solis sacerdotibus accessibilem doctrinam mysteriosam, esse reservatam videbant, et inscriptiones hieroglyphicas solis sapientibus apertas aspiciiebant, et summae antiquitatis eorum scientias et politicas institutiones fabulatas audiebant. Nunc vero, postquam intimiora perspecta fuerunt, parum speculationis et parum sapientiae sub illis nebulis fuisse reconditum novimus. Hujus summa capita sunt :

a) circa divinitatem : existere deum sine nomine, obscuritatem primitivam, *Piromis*; ex quo emanaverit *Kneph*, ratio rerum effectrix, et *Phtas*, organisator mundi, omnis vitae principium, et *Thot*, sapientiae personificatio.

b) circa cosmogoniam : emanatione ortos esse *Osirim*, principium activum, immateriale, luminosum; et *Isim*, principium passivum, materiale; — ex

eorum unione orta esse omnia tanquam ex patre et matre; — Osirim repraesentat sol, Isim luna.

c) quoad moralia : principium mali, *Typhon*, univit se cum *Nephtys*, aegyptiorum Venere; unde in mundo orta sunt mala.

d) quoad eschatologiam : animae humanae sunt ex principio immateriali per emanationem ortae, immortales; — in morte, quae fuerunt purae, Deorum societatem ingrediuntur; quae vero impurae, per metempsychosim varia etiam animalium et olerum corpora inhabitant; — alii admittebant regionem mortuorum in qua Osiris, jam *Serapis* vocandus, regnaret.

e) insuper aliquid astrologiae et magiae studiis dabant, geometriae quoque aliqua initia noverant.

Viguerunt ista dogmata usque ad saeculum tertium circiter post Ch.; — paulatim Christianismo extincta.

ARTICULUS 7.

Apud Celtas, Germanos, Scythas.

De his septemtrionalis mundi populis vix aliquid distincte notum habemus. — Videntur hi omnes divinitatem aliquam summam admisisse, quae ubique praesens, nusquam particulare templum haberet; — sub qua alii dii mundum gubernarent; — animam humanam post mortem praemia vel poenas, pro merito praesentis vitae, inventuram; — meritum praecipue virtute bellica, justitia, fidelitate acquiri.

Viguerunt illa donec paulatim sexto vel etiam decimo saeculo post Ch. extinguerentur christianismo.

ARTICULUS 8.

Apud priscos Romanos.

Primus sapientiae laude floruit *Numa Pompilius* rex et legislator. Is sensit Deum nec sensibus percipi, nec quidquam pati posse, sed animo solum cognosci; quare cavit ne Deus exprimeretur ulla specie sive humana, sive quacumque sensibili. Hinc Romae nullus ante annum 170 ab U. c. exstitit vel fictus vel pictus Deus (cfr. Plutarch.). — Ejus dogmata alia videntur a Moyse desumpta, alia illis sunt similia quae Pythagoras, duobus saeculis posterior, docuit.

ARTICULUS 9.

Apud Hebraeos.

Duce revelatione, integrae satis diu permanserunt veritates primitivae; — at nonnullae decursu temporum discordiae ortae sunt, eo maxime tempore

quum primum Babylonis, Graecis, mox Romanis permisceri coeperunt. Ita ante Ch' adventum doctiores Judaeorum in tres sectas, Esseniorum, Saducaeorum et Pharisaeorum, scissi erant.

1° *Essenii* voluptates tanquam maleficia vitantes, docebant animas esse ex se spirituales et immortales; — eas tantum quas illecebra naturalis attraxerit, corporibus ut carceribus implicari; — cum vero fuerint carnalibus vinculis solutae, bonas in amaenissima regione gaudiis, malas in horridissima poenis esse afficiendas, et quidem aeternis.

2° *Saducæi*, ab *Antigono Sochaeo* circa an. 300 ante Ch^m orti. Is docebat Deo non ex timore obediendum, ad modum mancipiorum, neque intuitu mercedis, sicut mercenarii solent, sed ex solo amore, quin ullum exinde commodum speretur. — Ejus discipulus *Sadoc* sublimiorem hanc pro homine doctrinam esse arbitratus, conclusit alteram vitam omnino non esse, nec poenas, nec praemia. Unde ipsius asseclae, ceterum fidei et cerimoniis Judaeorum satis conformes, negabant immortalitatem animae, resurrectionem corporum, et existentiam angelorum.

3° *Pharisæi*, i. e. separati, affectabant distingui ab omnibus aliis puritate doctrinae, et vitae integritate; unde praeter longas orationes, frequenter jejunabant, ut pallore vultus sanctitas populo innotesceret; distribuebant publice in platea, praecinente quandoque tuba, eleemosynas; et continuo inscriptis etiam in vestium fimbriis virtutibus suis, prae ceteris hominibus meliores se et perfectiores praedicabant. — In hac secta praecellentes fere quique Judaeorum, ut Nicodemus, Gamaliel, S. Paulus, Josephus Flavius, numerabantur. — Doctrina haec fere erat :

a) praeter libros sacros, quos reverebantur, sed praepostere saepe interpretabantur, habebant ingentem orationum multitudinem, quas a majoribus suis, et per hos a Moyse, imo et ab ipso Deo se accepisse gloriabantur;

b) omnia fato et Dei immutabilibus decretis ita sunt deputanda, ut agere justa vel omittere, secundum majorem partem in hominis potestate quidem sit, in singulis tamen fatum adjuvet;

c) admittebant libertatem hominis, vitam futuram, immortalitatem animae, corporum resurrectionem, sed et aliquam metempsychosim.

4° Haec usque ad exitium Jerosolymorum viguerunt. Post dispersionem vero suam Judaei non quidem integra sua servaverunt, nec tamen ulli genti alii se conformarunt, sed passim variorum varios errores sibi assumpserunt; toti uni rei incumbunt, ut Christianismo quantum possint noceant, et ut gentilibus suis terrestria bona divitiarum et honorum acquirant, restaurationem regni Israel ejusque universalem dominationem praeparent.

ARTICULUS 10.

Apud priscos Graecos.

Duae possunt distingui periodi : mythologica et politica.

1° *Periodus mythologica* dicitur a fabulis quae in ea narrantur. — Erat et hic doctrina alia exoterica, populo nota, alia esoterica solis eruditioribus pervia. Mythologica methodo omnia involuta; cujus rei causae sunt : a) obscuritas primitivae historiae gentis, b) memoria heroum, c) curiositas et philosophandi licentia, d) poetarum ingenium.

Hujus periodi sapientes praecipui sunt : Prometheus, Linus, Orpheus, Musaeus, Amphion, Hesiodus, Homerus. Duorum posteriorum opera ad nos pervenerunt. — Homerus Orphaei traditiones secutus saniora de Theogonia cogitat quam Hesiodus qui pleraque depravavit poeticis illusionibus. — Carmina Orphica non satis constat esse ab ipso Orpheo scripta, at nihilominus antiquissima sunt, et de potentia Dei, unici, supremi, providi, melius quam ceteri sentiunt.

2° *Periodus politica* dicitur, qua sapientes legibus et prudentia civitates componere studuerunt. Huc referuntur :

a) Legumlatores : *Rhadamantus* et *Minos* apud Cretenses, — *Zaleucus* apud Locrenses, — *Charondas* apud Cataneam, — *Solon* apud Athenienses, — *Lycurgus* apud Lacedaemones. — Ex Solonis legibus selectae in XII tabulas romanas postea relatae sunt.

b) Septem sapientes, quorum sapientia in recto et frequenti usu alicujus sententiae constituisse videtur : 1. *Thales* Miletinus, a. Ch. 640 efr. infra. — 2. *Solon* Salaminensis, Athenarum legislator, a. Ch. 558, « respice finem ! » Ejus legum imperfectio praecipua est, quod populo nummum ad spectacula tribuebant; quod eorum ingratum erga optimos cives animum fovebant; quod fidem erga auxiliares frangere docebant. — 3. *Chilon*, Lacedaemonius, ephorus justus, a. Ch. 598, « nosce teipsum ! » — « ne quid nimis ! » — 4. *Pit-tacus*, Mytilenaeus, a. Ch. 569, « nosce tempus opportunum ! » Reip. praefuit, in ebrios duplo severiorem poenam quam in alios statuit. — 5. *Bias*, Prinaeus, « ama tamquam osurum ! » Ceteris probitatis et sapientiae fama praecelluisse videtur. — 6. *Cleobulus*, ex Lindo, Rhodi urbe, « modus optimus ! » i. e. in medio virtus. — 7. *Periander*, Corinthius tyrannus, a. Ch. 535 « modestus in prosperis, fortis in adversis ! »

Aliae insuper circumferuntur istorum sententiae, breves et sapientiae practicae plenae : multum autem debuerunt illae in populi mores et aestimationem influere, ac proinde futurae sapientiae graecae praeparare vias. Est igitur haec periodus quasi transitus a philosophia religioni mixta ad philosophiam quae apud Graecos primum tamquam scientia rationalis a religiosis rebus distincta coepit tractari.

CAPUT II.

DE PHILOSOPHIA APUD GRAECOS A RELIGIONE DISTINCTA.

Primum apud Graecos coepit philosophiae studium a religiosis dogmatibus distincte tractari. Etsi vero ab aliis orientalibus gentibus et Aegyptiis non nulla tradita acceperant, evolutionem tamen doctrinarum proprio ingenio perfecerunt Graeci. Atque imprimis discernere possumus tempus ante Socratem, a saeculo septimo ad quartum ante Ch, et tempus sequens post Socratem. Quibus addendum aliquid de Romanorum philosophia tota fere ex Graecis desumpta; ac tandem de recentiore graeca cum orientali mixta philosophia. Unde :

Sectio 1. De philosophia Graeca ante Socratem.

Sectio 2. De philosophia Graeca post Socratem.

Sectio 3. De philosophia Romana.

Sectio 4. De philosophia Alexandrina.

SECTIO 1.

PHILOSOPHIA GRAECA ANTE SOCRATEM.

Nulla hoc tempore omnibus Graecis communis fuit philosophia, sed variae simultaneae scholae; quas non inepte ad tres classes reducere possumus, et quidem ita ut prima Ionicae gentis, altera Doricae, praesertim in Italia inferiore habitantis philosophiam, tertia tandem paulo recentiorem Atticorum complectatur. Sint ergo

Articulus 1. Schola Ionica.

Articulus 2. Scholae Italicae.

Articulus 3. Schola Attica.

ARTICULUS 1.

Schola Ionica, cosmologica.

Istius aetatis celebrior schola Ionica prae ceteris fuisse videtur. Erat autem ejus praecipuus character communis, studium in mundi originem inquirendi, et physicis rebus vacandi, idque methodo empiricae inductionis; et vocati fuerunt physici speculativi. Horum duces praecipui fuerunt :

1° *Thales* Miletinus (640 a. Ch. natus), observans nihil in mundo produci sine materia praeeistente, conclusit etiam universum hoc formatum ex aliqua primaeva improducta materia esse; quae, utpote destinata ad omnimodas formas recipiendas, debuit per se omnino informis sed omnimode informa-